



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia
illustrata: facundissimis ...

Beda <Heiliger>

Coloniæ Agrippinæ, 1688

Bridferto commentariolus in eundem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72031)

numeris, vel lignis. *Frangere, vel perficere. Sciunt, scilicet illi Graeci: id est secundum significationem numerorum. Verum haec haftenus, scilicet dicta sufficiant.*

De indigitatione, jam satis.

BEDÆ PRESBYTERI LIBELLUS DE RATIONE UNCIARUM.



Unciarum quoque divisionem nosse, quæ non minus temporibus rebusve aliis quam nummis est apta, computandis, non ignobilis inventio est. Quibus quia & dispersæ passim historiae, & ipsa facta scriptura utitur, nomina pariter & figuras eorum, paucis affigere curavimus: à libra incipiens, quæ dicta est quasi libera, quod liberaliter pondera adæquat; nam neque amicum, neque inimicum, nemini faver, nisi iusticia.

Divisio per uncias.

Libera, As, sive Assis, est unciarum duodecim, & signatur ita **X** vel **lb**.
Denunx, sive labus, unciarum est undecim, & signatur ita **¶** vel **¶¶**.
Decunx, vel Dextans, est unciarum decem, & notatur sic, **¶¶** vel **¶¶¶**.
Dodrans, sive Doras, est unciarum novem, & signatur ita, **¶¶¶** vel **¶¶¶¶**.
Bes, sive Bisse, aut Besse, est unciarum octo, & notatur ita, **¶¶¶¶** vel **¶¶¶¶¶**.
Septunx, sive Septuns, est unciarum septem, & signatur ita, **¶¶¶¶¶** vel **¶¶¶¶¶¶**.
Semis, sive Semissis, aut sextus, unciarum sex, & notatur sic, **¶¶¶¶¶** vel **¶¶¶¶¶¶**.
Quinquunx, sive Quincuns, unciarum quinque & sic denotatur, **¶¶¶¶¶¶**.
Triens, sive Treas, est unciarum quatuor, & sic pingitur, **¶¶¶¶¶¶¶**.
Quadrans, sive Quadras, est unciarum tres, & delineatur sic, **¶¶¶¶¶¶¶¶**.
Sextans, sive Sextas, sunt uncia duæ, & notatur ita, **¶¶¶¶¶¶¶¶¶**.
Sexcunx, sive Sescuncia, est uncia una & semis, dicitur etiam Sescquiuncia: sic notatur, **¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶**.

Divisio per Scrupulos.

Uncia, est viginti quatuor scrupulorum, & notatur sic, **¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶** vel **¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶**.
Semuncia, est duodecim scrupulorum, tertia pars uncia: & sic denotatur, **¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶**.
Sextula duæ, est octo scrupulorum, & formatur ita, **¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶**.
Sicilius, est sex scrupulorum, & sic notatur, **¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶**.
Sextula, sive Sescula, est quatuor scrupulorum, & sic formatur, **¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶** aut **¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶** vel **¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶**.
Dimidium sextula, est duorum scrupulorum, & sic depingitur, **¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶**.
Scrupulus, sive Scripulus, habet sex siliquas, & ita notatur, **¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶** vel **¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶**.
Sicilius, in Sicilia primò inventus.
Siliqua, genus est farris.

Hæc (inquam) ponderum vocabula, vel characteres, non modò ad pecuniam mensurandam, verum ad quævis corpora, sive tempora demetiendi conveniunt. Unde & ratio vel mos obtinuit, ut in cantione computorum, puerinum & duo, sæpius asse & dipondio murentur: item tressis, quartusis, quintusis, sextusis, septusis, & cætera hu-

jusmodi, quasi tres asses, quatuor asses profertur: & in eundem modum sequentia numerorum quàm plurima. Sive igitur horam unam, sive diem integrum, sive mensem, sive annum, seu certè aliud aliquod majus minusve temporis spatium in duodecim partiri vis, ipsa duodecima pars uncia est: reliquas undecim, deuncem appellant. Si in sex partiri vis, sexta pars sextans: quinque reliquæ, dextans, vel (ut alii) distas vocantur. Si in quatuor, quarta pars, quadrantis nomen obtinet: residuæ tres, dodrantis nomen accipiunt. Et hujus disciplinæ regula solvitur, quod plerosque turbat imperitos: quia Philippus in expositione beati Job æstum maris Oceani quotidie bis venire describens, adjunxit hunc æquinoctialis horæ dodrante transmissio, tardius sine intermissione, sive die venire, sive nocte. Porro si per tria quid dividere cupis, tertiam partem trientem, duas residuas bissem nuncupabis. Si per duo, dimidium semis appellatur. (Duodecima autem pars assis sive libra, est uncia: quæ habet scrupulos viginiquatuor, & sextulas sex, ac siliquas centum & quadraginta quatuor. Scripulus, est brevis lapillus.) Sic & cætera, quæ verbo melius colloquantis, quàm scribentis stylo disci pariter & doceri queunt. Item de corporibus, sive milliariis, sive stadiis, sive jugerum, sive pericam, sive etiam cubitum, pedemve aut palmum partiri opus habes, præfata ratione facies. Deniq; & in Exodo, dimidium cubiti semis appellatur, narrante Mose, quod habuerit arca testamenti duos semis cubitos longitudinis, & cubitum ac semissem altitudinis. Et in Evangelio, quarta pars totius mundani corporis: id est terra, mysticè quadrantis nomine censetur: quum mittendo in pœnam peccatori dicitur, Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem: id est donec luas terrena peccata, ut B. Augustinus exponit: Hoc enim (inquit) peccator auditur, Terra es, & in terram ibis. Quarta siquidem pars distinctorum membrorum hujus mundi, & novissima terra invenitur, ut incipias à cælo, secundum aerem numeres, aquam tertiam, quartam terram. Qui etiam in expositione ubi scriptum est: Erat autem parascève paschæ, hora quasi sexta, hujusce disciplinæ meminit, dicens, Non jam plena erat sexta, sed quasi sexta, id est peracta quinta, & aliquid de sexta esse coeperat: nunquam autem isti dicerent, Quinta & quadrans, aut quipra & triens, aut quinta & semis, aut aliquid hujusmodi: si non hæc partes, apud divinos auctores vulgatæ invenirentur.

IN BEDÆ LIBELLUM DE UNCIIS, BRIDFERTI GLOSSA.

¶ Hæc inquam. Scilicet, ut dixi, coepit. Ponderum. Ponderus, à pendendo dicitur, eo quòd in statera librata pendeat. Characteres id est figuræ. Non modò, id est tantummodo ad pecunias aurum scilicet vel argentum, aut quodlibet metallum. Antiquorum substantia ferè omnis constabat in pecoribus: etsi nunc in illis & cæteris constat, tamen nomen istud non servatur. Unde & ratio vel mos. Quia non solum hæc vocabula ponderum conveniunt ad pecuniam mensurandam, sed etiam ad alias res, obtinuit mos, ut ponantur etiam pro nominibus numerorum, in cantione computorum, id est quando aleam librant, quod est genus ludi. Cantio computorum est, quum dicimus unum, duo, &c. Propriè tamen assis, unam libram: dipondius, duas: tressis tres: quartis, quatuor significant. Sesterius olim dipondius vel dupondius: & semis, quasi semis tertius: tressis, quas tres asses, &c. Sequentia scilicet nomina quàm plurima profertur usque centussis, id est centum asses. Philippus. Ille tuit divi Hieronymi discipulus. Sive igitur horam. Majus temporis spatium, si in duodecim partiri vis, ipsa duodecima pars erit uncia: majus est ut cyclus decennovalis. Minus temporis spatium est, ut momentum, &c. ipsa duodecima pars etiam est uncia. Quicquid in 24. partiri vis.

pars } 6 > appellatur	24	{ scrupulus semis triens bes quadrans dodrans sextans dextans
	12	
	6	
	4	
	3	
	2	

Si vis partiri horam in 40. vel diem, vel aliquid hujusmodi, ipsa verò 40. pars momenti nomen habet.

pars } 10 > vocatur	20	{ semis quadrans dodrans
	10	
	5	

Quicquid in 10 partiri vis, decem ejus partes simul, decuncis nomen accipiunt: similiter ejus

pars } 9 > nuncupatur	18	{ decunx besse &c.
	9	

Similiter quicquid in novem partiri vis, omnes partes simul nomen dodrantis tenent. Ablata nona parte, octo remanentes, besse vocantur. Quicquid in octo partiri vis, omnes simul besse vocantur. Tolle unum, septem remanentia septunx appellantur. Itaque ex consuetudine venit, ut octo horæ, vel octo dies, vel octo puncti, vel octo momenta, & quicquid octies ducatur, bessem appellatur: ita novem semper dodrans appellantur, decem decunx, undecim deunx, septem septunx, sex sextans vel semis, quinque quincunx, quatuor triens: & sic de cæteris, ut in textu.

BEDÆ PRESBYTERI LIBELLUS DE ARGUMENTIS LUNÆ.



Argumentum, est velox approbatio rerum univèrsarum, quæ fidem facit rei dubiæ: & est argumentum dictum, quasi argutè mentis indicium, vel quasi argutæ inventum. Argumentum & argumetatio hoc inter se differt. Argumentum enim est, quod in principio libri breviter causam pandit. Argumentatio enim, quæ in disputatione fidem assertionibus facit: vel argumentum dictum, quod arguit mentem. Argumenta, astutia ingenia, quæ rei dubiæ dant fidem. Argumentum est, quando aliqua ex his quæ prius dicta sunt comprobantur.

Ad feriam in calendis mensum inveniendam.

Si vis nosse feriam, hoc est, diem septimanæ in calendis mensum, scito quot regulares habet unusquisque mensis à Martio incipientis: quia in illo mense factus est mundus, & ille mensis fuit principium anni apud antiquos Romanos in tempore Romuli: & in illo mense discurrunt epactæ solis, id est concurrentes septimanæ, dies in 8, calend. Aprilis, in cyclo 28. annorum. Martius ergo habet regulares 7. Aprilis 1. & reliqua usque. Februarius 6. His ergo regularibus additis concurrentibus præsentis cujuslibet anni per 28 annos, tunc enim cyclos solis in se revertitur, totaque summa in 8. divisa, quotus numerus remanserit, tota erit feria in calendis 12. mensium. Si autem totum numerum per 7. diviseris, sabbato erunt calendæ ipsius mensis, de cujus feria queritur. Si verò ille numerus regularium & concurrentium simul ad 7. non pervenerit, quotus numerus fuerit, tota erit feria præsens in calendis uniuscujusque mensis per totum annum.

Ad feriam per dies mensis inveniendam.

Si vis scire quotidie quota feria sit, computa dies à principio mensis cujuscumque volueris, & unum semper subtrahe, id est primum diem mensis, quia cum dicis, adde feriam, quæ fuit in capite istius mensis, tunc primum diem ipsius comprehendis, quem minimè duplicare debes. Similiter ibi de luna intelligendum est, ubi dicitur: adde ætatem lunæ, quæ fuit in calendis hujus anni & mensis. Adde etiam numerum, quota feria fuerit in calendis ipsius mensis. Verbi gratia: Si prima feria calendæ ipsius mensis fuerint, adde diebus præteritis unum. Si secunda feria fuerint, adde duos: si tertia, tres: & ita usque septem, & ubicunque opus fuerit partire per septimanam partem, id est in quantiscunque vicibus septem tollere poteris, quicquid remanserit super septem, talis erit feria. Si nihil remanserit, feria est.

Ad feriam per dies anni inveniendam.

Si vis scire quota sit feria, quocunque die per annum computa dies à calend. Januar. usque in diem, de quo inquiris: & cum scieris, adde feriam, quæ fuerit die cal. Jan. & si bissextilis annus est, etiam bissexti diem postquam transierit, argumentare memento, & partire omnia per 7. quot remanserint, talis erit feria. Si nihil remanserit, septima erit.

Ad feriam in calend. Januar. per annos Domini inveniendam.

Si nosse desideras, quota sit feria in cal. Jan. sume annos ab incarnatione Domini quotquot fuerint, his quartam partem adice, & ex his subtrahe unum: si bissextus fuerit, duos: reliquos divide per 7. Quot remanserint, talis erit feria in calend. Januarii.

Ad lunam in calendis mensum inveniendam.

Si subito invenire volueris quota luna semper in calendis mensis eveniat, tene regulares mensis præsentis, adde epactas ipsius anni de quo inquiris, comprehende in unum. Si usque 30. pervenerint, 30. erit luna in calendis. Si autem minus à 30. ita & luna. Quod si super 30. fuerint, recide 30. quod remanet, ipsa est luna in cal. mensium. Hoc autem cave, ut si 30. lunatio est, 30. recidas. Si verò 29. 39. recidas, quia ab initio anni usque ad finem, una lunatio est 30. alia 29. Quando autem bissextus est, vadit dies cum luna. Verbi gratia: Si hodie computata luna 6. & in crastinum similiter computari debet.

Ad lunam per dies mensis inveniendam.

Si vis scire, quota sit luna die quocunque volueris, scito quota in cal. ipsius mensis per epactas & regulares inventa fuerit, tene per dictum numerum, adde etiam dies mensis præteritos, sicut superius ad feriam diximus, & unum semper recide, comprehende in unum. Si 30. pervenerit, 30. luna est: si autem minus à 30. ita est & luna. Si super 30. fuerit, recide 30. & quod remanserit, talis est luna.

Ad lunam per dies anni inveniendam.

Si vis scire omnibus diebus quota sit luna, computa dies à cal. Jan. usque in diem, de quo computare volueris: & cum scieris, adde ætatem lunæ, quæ fuerit in calen. Jan. Partire omnia per 29. & 30. Et si amplius quam 30. remanserint, tolle 30. & 29. & quot super fuerint, talis erit luna.

Ad lunam in calendis Ian. inveniendam.

Si autem scire desideras, quanta sit luna in calend. Januar. sume cyculum lunarem anni præsentis cujusque vo-

lueris,